

P V I S

1 6 1 8

- | | |
|--|--|
| II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124. | XXIX. Festi in obitum Eusebii Primobis |
| III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09. | XXX. Angeli ad Barone de W. H. m. i. t. |
| IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08. | XXXI. Memoria Damolii Diepholdii. |
| I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97. | XXXII. Abrahami Cremeri proemptionem ad. H. m. |
| VI. Berzmani Psalmi .104. 0. 19. | XXXIII. Proemptionia Fyfelio et Cremeri dicta. |
| VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona. | XXXIV. M. Victori, cum renunziaretq. Rector. |
| VIII. Munderphei paraphrasis Iona. | XXXV. Ode Sapphica in Doctores Honoratus |
| IX. M. Iacobi Gregorii Ionas. | Fyfelii A. |
| X. Joannis Fabri de Nativitate Christi. | XXXVI. In Magisterii Honorei Jan. Cram. |
| XI. M. Theodori de Nativitate Christi. | XXXVII. Mermanni in honorem Magister |
| XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere. | zii Sassenii XX juvenum. |
| XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos. | XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi. |
| XIV. Pormacii Heptar simulane Resurrectionis. | XXXIX. In Magisterium Copenii |
| XV. Stentorii ubi impudentissimis. | XL. Bethmanni Herdesiani. |
| XVI. Trautmanni instructio p. vero Luterano. | XLI. Christiani Vopleri. |
| XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores. | XLII. Abrahami Theopoldii. |
| XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abale. | XLIII. M. Copenii Gratiani. T. H. m. Magister |
| XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Ab. | XLIV. De dignitate Consulari Treves. |
| XX. Henna ab Eichen ad Maunicium H. m. | XLV. De dignitate Nuntiatus Gelami. |
| XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand. | XLVI. Apocryphorum Politionum sigula. |
| XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem | XLVII. Nuptiis Marti a. J. m. |
| Rudolphi Principis Anhaltini. | XLVIII. M. Pucneri. |
| XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. m. | XLIX. M. Richardi. |
| XXIV. Berzmani Ecloga Rodolphus. | L. Wolfgangi Hanen. |
| XXV. Bromii Nuptiis z. d. Rudolphi Pr. | |
| XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis | |
| eiusdem. | |
| XXVII. Parentalia Augusto Electori a | |
| D. Maiore Sabita. | |

Ec. 11



Quod faustum & felix sit,

VIRO

Reverendo & doctissimo

Dn. MELCHIORI THEO-
DORO GORL. LISATO,

Reverendi & doctis. viri, Dn. BAL-
THASARIS THEODORI, p. m. olim Ecclesie
Gorl. pastoris primarij, filio: Ecclesiarum
in Brambach & Nefen pastori vigilan-
tissimo, SPONSO.

&

Virgini lectissima

JUDITHÆ Reüterin/

*Viri Reverendi, Dn. STEPH. REU-
TERI, ibidem olim concionatoris, p. m.
filie, SPONSÆ,*

Ad d. XXV. Aprilis ann. M. DC. XIII. solemni-
ter nuptias celebrantibus,
gratulantur

FRATRES ET AMICI.

SERVESTÆ, ex typographico Dörfferiano,

Anno quo

De Vsplos ConIVnglt a More.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is framed by a decorative border.





Dum pia conjugii meditaris foedera, *frater*,
Atq; petita tibi sponsa *Juditha* manet.
Fallor? an incautus tibi saeva pericula mortis
Adstruis, & sacro publica damna toro?
Namq; *Juditha* olim (docet ut sacra pagina *Verbi*)
Mascula Holoferni sustulit ense caput.
Nil te, nil quicquam mortis vestigia terrent?
Nil movet Assyrii tanta ruina Ducis?
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum:
Res patet; exemplo doctior esse potes.
Sed benè habet: fallor; quoniam *Juditha* puella,
Quæ venit in thalamos, nupta pudica, tuos;
Non instructa venit ferro sub veste latente,
Nec stringet niveas intua membra manus.
Nec caput abscindet, sed cor tibi scindet amore,
Quo te sincerâ mente fideq; colit.
Hanc, age frater, ovans Sponsam complectere: *Jovæ*
Consilio quod fit, non male cedit opus.

*Fratri suo charissimo Ευρυφίκω ex animo
precatuſ Vitebergæ fac.*

Georgius Theodorus Gorl. Lus.

A 2

Albi-



ALBIDOS irriguas nuper spatiabar ad undas,
Hic ubi Brambachi rura propinqua jacent.
Lucus oberranti suberat niger ilice densa,
Quo possis viso dicere, Numen inest.
In medio luci locus est aspergine multâ
Roridus ex alto præcipitantis aquæ.
Quo simul ac veni, viridi levo corpus in herba:
Nam (via longa fuit) corpore fessus eram.
Dum jaceo, umbrosæ salices volucresq; canoræ
Suadebant somnos, Et leve murmur aquæ.
Grata quies furtim victis obrepfit ocellis,
Atq; sopore cadit languida facta manus.
Somnia mente habui (visa est res digna relatu)
Lucidius visum, quàm fuit antè, nemus.
Protinus ipse deas manifesto in lumine vidi,
Fronte incedentes irradiante nemus.
Ipse deas vidi, vocemq; his auribus hausi:
Inter pulchricomas lis erat orta deas:
Quenam digna viro conjux, quæ pulpite templi
Per populos spargit dogmata sancta DEI.
Disfensere deæ: mox Juno pronuba cœpit
Prima: silent aliæ, dicta q; mente notant.

Cur non

Cur non dotatam ducat bene pastor, apud quem
Res angusta domi sepius esse solet.
Dote puellari melius prædite mystæ
Quæ dea, quisve hominum consuluisse potest?
His ego prædominor, cui vincla jugalia curæ,
Et soror & conjux perpetuata Jovis.
Forma placet, dixit, geminorum mater amorum,
Quæ rutilans supero fulget ab axe Venus,
Forma placet, niveusq; color, flaviq; capilli,
Purpureaq; genæ, candiduleq; manus.
Delectat faciles formosa puella maritos,
Dimidium victus pulchra puella domi.
Nec mora, Majestas, totum quæ temperat orbem,
Aurea sidereo conspicienda sinu,
Incipit: & genus, & proavos, clarosq; parentes
Evehit ad cælum laudibus illa suis:
Si genetrix genere & virtutis honore decora est;
Virtutum & soboles nobile pectus habet.
Multa vehunt aliæ laudes ad sidera cæli
Viræ: sed nostro non referenda sono.
Tandem consurgit Pietas: mox omne vidisses
Numen ad hanc voltus composuisse suos.
Incipit illa loqui: fecere silentia cunctæ,
Attentæq; sedent: talia verba facit.

Quantum

*Quantum animis erroris inest! quam vana, sorores,
Dixistis? neutra est digna locuta Dea.
Dotatam ducat? Vos est uxoria lites,
Exitio Domino saepe fuitq; suo.
Ach miser est, manibus tantum quicumq; puellam
Ducit; habet Dominam probraq; multa domi.
Forma tibi placuit, Venus: at formosa puella
Vab quantis vitis concomitata venit!
Fastus inest pulchris, formam sequiturq; libido,
Et levitas; fallax corpus ut umbra suum.
O formosa Venus! nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt: nigraq; myrte manes.
Quid decus egregium prodest tibi, Bersabe, formae
Cui mistus niveo fulsit in ore rubor:
Dum praeda Isaidi facta es, perjura, petulca,
Cui triste exilium cordoliumq; paris?
Adde quod igne Tonantis edaci forma perusta,
Ceu vestis tincis depopulata, perit.
Quae Dominum metuit (fallax est gratia formae)
Haec haec omnigenae laudis honore cluit.
Est vero propior tua, sed sententia fallit,
Majestas, nimium; nec via tuta viris.
Quid prodest jactare genus praelustre parentum,
Quid celebris patriae nomen habere juvat?*

De

Degener à proavum malè cum discedit alumnus
Moribus, & fidei dexteritate bonæ.

Sola sed est pietas homini tutissima merces,

Conciliatq; homines, conciliatq; Deum.

Omnia habet pietas, presentis & inclyta vitæ

Atq; secutura premia sola tenet.

Sola hominem pietas sequitur: sunt cætera nugæ,

Quisquiliæ, fumi, somnia, vana, nihil.

Ergò quam pietas decorat, quam sancta coronat

Religio, hæc tali est digna puella viro.

Finierat voces pietas: mox dicta probarunt

Juno, Majestas, & Cytheræa Venus.

Protinus in tenues oculis evanuit auras

Concilium superum: limina nota peto.

Verba fides sequitur: subit exoptata lacertos

Sedula, sponte, tuos, sponsa pudica, pia.

Hac Ecclesiolæ vivas sub imagine parvæ:

Tartarea absit ætas, mutuus adsit ætas.

Sancta torum pietas intret: circumvolet alis

Pax niveis: cingat gratia plena DEI.

Astet & ante torum Raphaël lucentibus alis,

Et procul Asmodi fervida damna fuget.

Crescite triseclis numerando Nestoris annos,

Prole referte solum, prole referte polum.

FATUM

FATUM CONJUGALE.

A Rbitrii non sunt hominis connubia: diuūm
Est opus & fati connubialis amor.
Fato junguntur, fato solvuntur amantes,
Et plus quàm votum fatum in amore valet.
Ipse Deus, Deus ipse suo succendit amantes
Igne, & amore sacro pectora bina ligat.
Hinc sacra Iesse sati nobis proverbia dicunt:
A Domino prudens uxor habenda venit.
Res patet exemplis. Formatam ex ossibus Evam
Author conjugii jungit Adame tibi.
Urbe peregrinā, fatis, nec visa Rebecca
Quæsitæ est thalamis, Isace, sponsa tuis.
Sic olim sociata pio pia Sara Thobia,
Quod licitum septem non erat antè viris.
Sic quoque Penelopes casta uni nupsit Ulyssi
Nubilis à multis antè petita procis.
Sic jure externo te, frater, sorte sacrorum
Et consorte thori fata benigna beant.
Quam nunquam vitæ sociam tibi finxeris, ecce
Ingreditur thalamum casta Juditha tuum.
Usq; ad eò verum est: fato junguntur amantes:
O fatuum, fatum hoc qui negat esse DEI!

Non

Non hæc eveniunt sancto sine Numine Divum;
Res est solliciti plena Tonantis amor.
Nempe solum haud cunctis licet incoluisse paternum:
Multis externâ sors sua floret humo.
Dulce solum patria est: sed ut experientia doctrix,
Exilium multis patria sæpè fuit.
Patria dat vitam, haud cunctis dat patria victum:
Omnibus hospitium patria, non patria est.
Totus & hospitium orbis hic est: peregrinus in omni
Quisq; loco: cælum qui tenet in patriâ est.
Ne mihi, ne quisquam fatum hoc velit isse negatum:
Adducit sponsam cui libet ipse DEUS.
Ergo datam triplici fatorum Numine sortem
Consortemq; thori, sponse beate, cape.
Fatis hæc voveo: genialis pignora lecti
Tot videas, olim quot genuit genitor.

Φιλαδελφίας ἕνεκα Ἐφημῶν F.

Fridericus Theodorus.



EPITHALAMION.

MYstica naturæ retegens gravis arte vetustas,
Taliter Idaliam sculpserat ære deam,
B Circum

Circum quod virides sedeat fluviatilis undæ
Ductus, qui rauco murmure semper eunt.
Indiget at: Nemorum ceu lenti ligna retundunt
Vulcani affusis debile robur aquis,
Sic damnata aridæ sopiri incendia mentis
Infesto, saliens quod movet unda, gelu.
Ergò quid vano tentas molimine? mentis
Portio, S P O N S E, meæ, quò tua cepta premes?
Anne Pyrenæi proles audendo furoris
Claudo Mulciberis cedit iniqua pedi?
Tunc refulgentis ferventia lampadis ora
Oppostâ extingues (hem tua fata!) face?
Ecce, oculos cœci ni decepere parentes,
Liquitur ignitâ quam tua Sponsa face?
Tu quoq; inardescens stimulantibus urere flammis,
Debile nam valido pectus ab igne tabet,
Cur flammæ vanus tentas superaddere flammam,
Ignitusq; cupis ducere flammigeram?
Quidni alia inquires tanto medicamina morbo?
Non aliâ vel inis cur ratione viam?
Posses, si velles, gelidam descendere in Albim,
Vaticinor, caperent sic tua membra gelu.
Posses, si velles, ceu fas, imitari er illos,
Qui tibi cesserunt per sua fata locum;

Quos

Quos cymba ejectos non rarò exceperat Albis

(Ipse ita narraſti) reddideratq; ſolo:

Tu verò tentas arcere venena venenis,

Cùm tamen haud præſtes Pœonis arte virum
Bellè: Amor heus (ſimilis ſimilem) depellet amorè;

Tene ego ridebo Pœonis arte virum?

Reſtè agis: haud Veneris furibundus tollitur æſtus,

Pocula ni ſoboles temperet Idalia.

Cedat perplexis erroribus acta vetuſtas,

Naturæ tantùm tollitur ignis aquâ.

Infeſta at Veneris flammæ reprimuntur ab eiusdem

Æſtu: quæ fecit vulnus, & ipſa fugat:

Non opus eſt ergò gelido te mergier Albi,

Juditha en morbi dulce levamen erit.

Juditha, haud *Holoferneo* quæ ſanguine gaudet,

(Sic non verus eam verè agitaret amor)

Sed quæ te verò verè complexa favore,

Ad mortem pro te dirum Holofernen agat:

Illa tibi offertur nova nupta, videtur, amatur,

PRÆDECESSORIS FILIA CARA TUI,

Dignior ulla tuis quâ vix eſt altera tædis,

Moribus & quâ non aptior illa tuis:

Illa tibi ſtabili modò nexu jungitur, intrat

Illa tuum lectum, *Sponſe*, torumq; tuum.

MELCHIOR, illa tibi presso fessoq; laborum,
Curarum & strepitu dulce levamen erit;
Quin, FAUTORE DEO, post debita cornua Lunæ
Te pulcrâ faciet prole subinde Patrem:
Hæc te fata manent, *Sponse, ò doctissime Pastor,*
Sic te nempe beat mitior ipse DEUS:
Gratulor ex animo sortem hanc, thalamiq; sacratis
Hospes lætitiis talia vota fero:
Sint tranquilla, secunda, novis, fœcundaq;, sponsis,
Tempora Conjugii sint diuturna precor.
Quin & si quid habet terra, aut quid in æthere habe-
Fortè boni, hoc illis conferat ipse DEUS. (tur
Hæc solvo hospes vota, meis tua subjice, *Sponse,*
Utraq; sic numen pondus habere sinet.

Abrahamus Theopoldus
Servestâ-Anhaltinus.

ALI=



ALIUD.

NEC me Poëtam, nec subitaneum
Vatem superbis vendico laudibus,
Ut te, Judithâ cum pudicâ
Carminè suavi-sonante pangam.
Nec Hippocrenes dulci-fluo mea
Unquam rigavi ora arida flumine,
Tuam ut potis sim, Sponse, nympham
Castaliâ decorare lymphâ.
Quid ergò nostras in tua fœdera
Vocare Musas niteris? aut age
Dic, inficetum flagitare
Quæ pietas jubet hocce carmen?
Fallor! tui num pectoris intimi
Clarè recessus hinc pateant mihi,
Et candidè gnorisma mentis,
Ac animi redamantis arrha.
Ut omnis ergò sim modulaminis
Et artis expertus, aut leviter modò
Tinctus Camœnis; gratulari
Ipse tuis tamen opto tædis.

En vota fundam, suppliciter Deūm
Rogabo, quin & verba precantia
Pro Te, tuaq; pro Juditha
Non-feriante litabo voce.
O summe mundi rector & arbiter,
Qui conjugalis solus & autor es,
Et fautor, atq; dux amoris,
Legitimiq; parens caloris.
Adsis vocatus, ter pater optime,
Novisq; nuptis omnia prospera
Largire, nexu copulandos
Quæso tuere, fove, jugali.
Da mutuo se pectore diligant,
Colatq; Sponsam Sponsus. at in vicem
Lites serantur ne malignæ,
Eumenidum procul esto turba,
Dein, summe rector, ne vacuus piâ
Sit prole lectus, da sobolem suo
Producat optatis Calendis
Eximiam genitrix marito.
Uxor maritum curet, & insuper
Maritus illam: remq; domesticam
Ut augeant, diuiniore
Particulam bonitatis adde.

Ut

*Ut multa paucis deniq, finiam,
Post hujus ævi tempora, gloria
Da Melchiori, da Judithæ
Nectar & ambrosiam perennis!*

Faustæ gratulationis
ergò pangebatur

*Abrahamus Ulricus Cr.
Soteropolitanus.*

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



*Id 4212.
8.*


ULB Halle 3
002 391 589




So

Me
vom







B.I.G.

Farbkarte #13



84



x lit,
 imo
 THEO-
 SATO,
 ri, Dn. BAL-
 n. olim Ecclesie
 Ecclesiarum
 ori vigilan-



iterin/
 TEPH. Reu-
 atoris, p. m.
 XIII. solemn-
 us,
 ICI.
 o Dörfferiano,
 a More.

